

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive
Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

17. Caelum Vegetable Lullii - Sal Tartari volatile Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](#)

V. G E N U S.

*Menstrua Vegetabilia simplicia ex Spiritu
Vini Phil. & salibus fixis Vegetabilium
& Mineralium non tingentium.*

17. Cœlum Vegetabile Lullii ex Sale Tartari ,

In Experimento 34.

Rx. **A** Quam Vitæ optimam ac rectificatam, ita ut comburat pannum lineum, prout vidisti, ac ipse mecum operatus fuisti, ac proinde non opus est ejus Aquæ Amplius tibi Magisterium tradere. Rx. Igitur Aquæ Vitæ libras quatuor, ac pone in Urinali vitreo (*Cucurbita*) quod sit maximè solidum: Mox accipe libram unam Salis Vegetabilis sublimati secundi Experimenti (*Sal Tartari volatile*) contere ipsum quam optimè, ac pone in ipsa Aqua Vitæ, claude fortiter suo antenotorio (*Alembico cæco*) vas ipsum cum cera Gummatæ, ut nullo pacto respirare valeat. Pone postmodum in putrefactione per duos dies naturales; postea amoto antenotorio superpone Alembicum cum suo recipiente, juncturis quam optimè clausis, super cineres calidos destillabis. Illud adverte, quod receptorum debeat esse prægrande ac solidum, ne potentia istius Aquæ Vitæ valeat frangi, atque hoc pacto tuam distillationem continuabis lento igne, donec totum per Alembicum destilletur. Quod si in fundo Vasis aliqua pars Salis remanserit, superfunde iterum aquam nuper destillatam, ac distilla ut supra, juncturis optime clausis. Hoc pacto toties distillationem reiterabis, donec Sal totus fuerit per Alembicum transactus in forma Aquæ Clarae. Postea alteram libram supradicti Salis pone in Urinali, ac illi superfunde eandem Aquam destillatam, claude vas suo antenotorio, ut supra, pone in putre-

putrefactione ut suprà; postmodum ut suprà destillabis. Cum vero Sal totus cum Aqua fuerit transactus , iterum ut priùs accipe de novo Sale Vegetabili libram unam , ac ut supra cum Aqua destillata iterum per Alembicum transmitte totum : Atque hoc pacto habebis quatuor illas libras Aquæ Vitæ unitas cum tribus libris ipsius Salis Vegetabilis , quod potentiam habet dissolvendi duo Luminaria , (Aurum & Argentum) cæteraque Metalla cum Conservatione formæ Vegetabilis. Nunc autem ipsum simplex Menstruum in formam Cœlicam reducere intendimus. Accipe igitur ipsum simplex Menstruum , ac constitue in vase vitro solidō (Circulatorio) cuius partes quatuor vacuae sint , quinta vero pars sit plena. Claude vas , ut nullo modo possit respirare , ac pone ad circulandum in fimo vel Balneo per 60 dies naturales. Atque hoc modo habebis Menstruum Clarificatum , in quo videbis Hypostasin ; quare in aliud vas Cœlificatam Aquam evacuando transferas , & cave ut Hypostasis nullo modo cum Aqua transeat , quam servabis bene clausam in Balneo.

Annotationes:

Quoad præparationis facilitatem , Parasini Cœlum Melleum cæteris præstat Menstruis : Hoc verò Lullii inter Menstrua Vegetabilia simplicia primum obtinet locum. Sapo enim Sapientium est , ex alcalibus fixis & unduloso Spiritu Vini Phil. Compositus. Alcalia fixa non facile conjunguntur Spiritui Vini Phil. ubi verò insimul permixta fuerint , sublimantur leviter operâ in Salia Harmoniaca , Sulphura Naturæ , vel Mercurios Philosophorum , summa Chymicæ secretioris Instrumenta.

Lullius post varia nobis præscripta Spiritum Vini Phil. acuentia , ipsem hunc Spiritum acuere voluit Salibus hisce Philosophice volatilisatis. Sit autem nostrum Menstruum , inquit , ab omni Phlegmate dépuratum , quod est quinta Essentia Vini , & acuatum cum Sale Armoniaco Philosophorum ; quia aliter non dissolveret Aurum , neque Lapidès preciosos. Sit autem Sal Armoniacum ipsum Philosophorum bene purificatum , id est , sublimatum , & mundatum ab omni terebreitate & immunditia , Philosophorum more ; de quo quidem Sale Armoniaco Philosophorum plenariè tractavimus in Libro nostro de

intra

intentione Alchimistarum , condito illustrissimo Regi Roberto ,
*in cap. de Salibus Armoniac. & in clausura Testamenti , aliter
dicto Vade mecum , in cap. quod incipit , Partus Veræ Terræ :*
Ibi legas & perlegas Magisterium Confectionis hujus Salis &
purificationis ipsius , & ejusdem virtutes & Potentias . Et scias
Fili , quod quicquid in illo cap. scribimus , de isto Sale tantum-
modò intelligimus . Legas & bene perlegas illud cap. quia sine
isto Sale nihil in Magisterio fieri potest . Illud est enim cum
quo nostrum Menstruum acuimus , ut dissolvat nobis Aurum &
Lapides pretiosos , & Margaritas , tam ad medicinas humanas ,
quam ad Magisterium aliquot Metallicum & Lapidificum , &
ad componendum Margaritas & Lapides pretiosos . *In quo
Lullii Recepto habemus tantis laboribus , nummisque in vanum
haecenüs quæsum Sal Tartari volatile , gratis nobis datum , de
quo Theoretici nil nisi obscurissima protulere in suis Theoreticis .
Omnia aperte dixi , inquit , Sendivogius ; Extractionem saltēm
nostrī Salis Armoniaci vel Mercurii Philosophici non ita aperte
revelavi . Send . in Epilogo 12 . Tractat . pag . 337 . Agedum ex
allegato secundo Experimento sequentem habemus Salis Harmo-
niaci sive Salis Tartari volatilis descriptionem ; nimirūm ,*

Sal Tartari Volatile Lullii , Ex secundo Experimento .

R. **T**artarum optimum , quod triturabis , & in vase terreo
non vitreato pone ad calcinandum per tres dies , vel
quousque albescit . Quo facto ipsum dissolve in Aqua Vitæ pri-
mæ distillatae (*in Spiritu Vini Phil. nondum rectificato*) hoc
pacto videlicet : Pone individuum hoc Calcinatum & Album
in Urinale , & desuper infunde Aquam Vitæ ut superemineat
septem digitis , & occlude cum suo antenotorio (*Alembico
Cæco*) ac pone super furnum cineris ut ferveat per duas horas ,
deinde quod dissolutum fuerit cautè in aliud vas transfunde :
quod autem remanet indissolutum desiccabis . Postea iterum
Aquam novam Vitæ infundas , atque iterum super cineres fervere
facito .

Dissolutum iterum ut supra evacuato , & cum altera disso-
lutione

lutione priori Conservato. Materiam in vase remanentem iterum desiccato, atque eam ex vase extrahas, quoniam iterum calcinanda est, ut facilius dissolvatur. Quæ cùm calcinata fuerit, iterum cum nova Aqua Vitæ dissolve, & fervere facias supra cineres. Dissolutionem hanc, ut suprà, cum reliqua conservabis; Atque hoc Magisterium toties reiterabis donec totum hoc individuum fuerit calcinatum & per dissolutionem transactum. Omnes postea Dissolutiones constitue in Urinali, apposito Alembico cum recipiente, & juncturis optimè clausis per Balneum destillabis, quoisque materia congeletur, vel quoisque per illum gradum caloris amplius non destillaverit. Tunc remove Recipientem, & claude ne respiret, & postea transferes Urinale super cineres, & si qua pars corruptibilis (*Phlegma & Terra inutilis*) cum materia remanserit, comburatur, & cum per duas horas vel tres vas illud permanserit in igne aliquantulum remisso, nec amplius destillabit quicquam per rostrum Alembici, tunc finito ut frigescat vas, ac deinde super materiam iterum superfunde eandem Aquam (*Vitæ sive Vini Phil. Spiritum*) quam superius in recipiente clausam servâsti. Dissolutâ igitur hâc materiâ, iterum per Balneum destillabis Aquam, ut suprà, quam remoto recipiente benè clausam servabis, ne respiret. Postea transferas Urinale super cineres, & desicca materiam, desiccata iterum dissolve cum Aqua, quam in recipiente servâsti, & si videris Dissolutionem illam non esse claram nec per lucidam, debes eam toties transmittere per filtrum vel pannum lineum, ac toties eam vicissim dissolvere ac congelare, ut suprà, donec ex se nullam terrestreitatem emittet; & postremò Dissolutio ipsa acquirat claritatem ac splendorem. Tunc demum pro comperto habeas, quod impurum est & corruptibile, separatum est, ac totam materiam videbis in Oleum transmutari. Nunc autem, charissime Fili, procedendum est ad Compositionem Mercurii, & nostri Salis Armoniaci, in quo tot tantas potentias ac virtutes inesse animadvertis, ut perdifficile sit, id hominum sermone consequi & comprehendere. Cuius operationis modus talis est.

Scias pondus Salis vel Olei, quod in fundo vasis depuratum aspexisti ac illi superinfunde de nostro Spiritu, id est Aqua Vitæ rectificata, ut ardeat pannus madefactus in ea tantum ut supereminat quatuor digitis, vel sit ad pondus Aquæ Vitæ sex partes plus

plus quam sit ipsum Sal vel Oleum. Totum hoc simul mixtum in Urinale constitutas cum Cooperculo sive antenotorio firmiter clauso, ne respiret. In Balneo putrefacias spatio duorum dierum naturalium, deinde amoto antenotorio & opposito Alembico, cum recipiente juncturis bene clausis in furno cinerum lento igne destillabis. Quae destillatio continuanda est, quo usque rostrum sive capitellum nullas Venas ostendat. Sed subito postquam Venæ disparuerunt, depone recipientem cum Aqua destillata (*Spiritu Vini Phil.*) & firmiter claude, venit enim Spiritus animatus (*Spiritus Vini Essentia Tartari imprægnatus*) qui potestatem habet vivificandi suum Corpus (sive *Caput mortuum*) posteà continuabis eandem destillationem, in fine augmentans ignem, ut si Phlegmatis aliqua pars restet, per illum caloris gradum exhalet, & removeatur. Postremò frigefacto vase materiam extrahe & triturabis. Scias pondus materie, & illi superfunde de Aqua Vitæ quatuor partes amplius quam sit ipsa Terra (*Caput Mortuum*) & occluso vase cum suo antenotorio, putrefacias, ut anteà, deinde opposito Alembico cum suo recipiente firmiter occluso, in furno cinerum, ut suprà, destillabis. Postquam cum suo Spiritu transacta sit anima cum iisdem signis venarum, ut suprà, apparentium, idem magisterium reiterato per tres usque vices. Tunc enim habebis Spiritum perfectè animatum, & Corpus exanimatum & calcinatum. Ipse quidem Spiritus cum anima (*Tartari*) aptus est ad omnem operationem Physicam disponendam, sed in hoc loco eum usurpabimus ad calcinatam Terram vivificandam. Accipe igitur supradictam Terram ex suo vase, & eam tritura, posteà de ea supra carentem laminam modicum quid pone, quod si fluat instar ceræ absque fumo, signum est perfectæ exanimationis. Si hoc signum non apparuerit, est iterandum hoc Magisterium, quo usque illud signum fueris consequutus.

Postea scito pondus istius Terræ, supra quam infunde Spiritus Animi quartam partem, & clauso vase cum suo antenotorio, constitue illud in Balneum ad congelandum per duos vel tres dies, vel quo usque congeletur, quo facto, remove antenotorium, supponens capitellum, & in furno cinerum destillabis sine recipiente, ut si pars Phlegmatis extiterit, inde amoveatur, quod enim emanabit ex hac destillatione, erit insipidum

dum & nullius saporis vel valoris ad similitudinem Aquæ Pluvialis. Postea iterum superfunde quartam partem animati Spiritus, ut supra, & in Balneo congelabis, ut supra, postea per cineres phlegmaticam humiditatem destillabis, ut supra. Atque hoc pæcto prædictum magisterium toties iterabis, donec Terra ebiberit & attraxerit ad se totum suum Spiritum animatum, ac deveniat ad hujusmodi signum; ut si particulam ejus posueris super laminam ignitam, major pars in sumum evolet, quod erit signum materiam istam dispositam esse ad sublimandum Mercurium nostrum pretiosissimum, qui potestatem habet dissolvendi quocunque Metallum cum conservatione suæ formæ Vegetativæ & Germinativæ.

Accipe igitur præfatam Terram prægnantem, & constitue intra Bociam (*Sublimatorium*) cum collo longo, quam optimè lutabis luto Sapientiæ, ac desiccato luto collocabis cum materia in furnum destillationis subministrans in principio ignem lentum, donec Bocia calefiat, cuius os sit occlusum licinio bombacis, atque istum lentum ignem continuabis per 6 horas; postea per alias sex horas ignem aliquantulum augebis. Quod si per illum ignis gradum non sublimaretur, augebis ignem vicissim ad violentiorem gradum, donec incipiat sublimare, quem ignem continuabis per viginti quatuor horas, quo temporis spatio elapso, frigilacto vase, accipito inde Sulphur nostrum sublimatum (*Sulphur Naturæ vegetabile*) Mercurium nostrum (*vegetabilem*) Cœlum nostrum (*siccum*) Sal Armoniacum nostrum (*vegetabile*) Lapidem nostrum nondum fermentatum, & pluribus aliis nominibus appellatum. Cujus potestas est acuere suum Spiritum (*Vini Phil.*) ut inferioribus Experimentis comprobabitur.

Hæc Salis Tartari volatilisatio satis tædiosa est, facilis tamen & clara, juxta Recepti tenorem. In sequenti Menstruorum genere varia habebimus exempla conficiendi ejusmodi salia harmoniaca, hinc quæ circa hanc satis Tartari volatilis confectionem admonenda sunt, illuc reservabimus. Iullius hujus salis volatilis libras tres cum quatuor Spiritus Vini Phil. successivè commiscet per varias destillationes; commixtum circulando per 60 dies redigit in Cœlum vegetabile.

Hic autem admonendi sumus, Sal Harmoniacum Tartari in sua forma siccæ esse Menstruum vegetabile, adeoque juxta præscriptam

Scriptam Recepti methodum non semper necesse est istud in liquidam reducere substantiam; illud enim, & Menstruum inde confectum differunt, eò quod in Cœli confectione unctuositas Spiritus Vini Phil. superaddita, & jam prævalens absorperit, & dissolvetur salis harmoniaci ariditatem. A hoc, à majore Oleo si quantitate, hoc modo plus justo dilutum, multum de suis amittit viribus, & ad aridorum dissolutiones minus fit idoneum. Jam verò si sal Tartari sit volatile, ipsum Menstruum in forma secca, inscitè quidam illud Menstrui Philosophici supplere locum dixeré, quod tamen rectè & optimè dictum, si Menstruum corrosivum quod nobis minerale dicitur, intelligatur; cuius locum sal Tartari volatile, ceu Menstruum vegetabile, in variis occasionibus supplere potest.

Quemadmodum verò sal harmoniacum hoc, Spiritu Vini Phil. in liquidam substantiam redactum, Cœlum Vegetabile nobis componit; ita Spiritu Vini com. dissolutum, facit Spiritum Vini Basilii; dissolutum cum aceto, Acetum nostrum; dissolutum cum Aqua Forti, Aquam Regis Philosophorum, & sic de pluribus aliis. In presentibus suum habet locum prædictus Basilii Spiritus.

18. Spirituſ Vini Basilii, In fine Libri Revelat.

R. **V**inum Album generosum (*commune*) & destilla modo solito, ut ex eo fiat Aqua Vitæ fortis in vesica, quam in phiala rectifica, & separa phlegma, Aqua Vitæ hæc ita probatur; si in vase vitreato incensa comburatur tota, nihilque aquositatis post se relinquat; sin autem remaneat quid, destilla adhuc semel aut bis, juncturis optimè clausis, ne Spiritus volatile Vini exhalet. Aquâ Vitæ sic destillata, & optimè rectificata, (cave autem, ne inter destillandum candelam admoveas, ne tibi noceas) in aliâ phialâ cum mensurâ hujus Aquæ Vitæ jungas uncias tres Tartari optimè sublimati, ut phiala ad medietatem plena sit, apposito alembico & recipiente satis amplio, destilla in Balneo Mariæ lentissimè propter Spiritus volatiles, relicto in fundo parum Aquæ Vitæ, & inter destillandum humidis pannis refrigerato alembicum, sic Spiritus citius resolvitur, & in Recipientem transit. *Hic*